This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LH
9
660

Digitized by Google

Sh9.660

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 6 April, 1889.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4623

8321

Zur

öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des

Städtischen Progymnasiums zu Gnesen

am 11. April 1865

LADET EHREBBIETIGST EIN

DER DIRIGENT DER ANSTALT

Dr. J. Methner.

NA

popis publiczny uczniów

Progimnazyum miejskiego w Gnieźnie

dnia 11. Kwietnia 1865

ODBYĆ SIĘ MAJĄCY

ZAPRASZA NAJUPRZEJMIĘJ

Dr. J. Methner.

1. Quaestiones Horatianae, scr. Dr. Ferdinand Teichmüller.
2. Schulnachrichten, vom Dirigenten.

Gedruckt bei J. B. Lange in Gnesen. Czcionkami J. B. Langego w Gnieźnie.

1865.

Digitized by Google

Lhq.660

Fag. 10 v. 14 lege: Certe uritur jecur ejus qui usti jecoris q. s.

Digitized by Google

Quaestiones Horatianae.

Scripsit Ferdinand Teichmüller.

Carm. II. 7, 6—8: *cum quo morantem saepe diem mero*
fregi coronatus nitentes
malobathro syrio capillos.

Diem frangunt qui antequam dies ad suum ipse finem perveniat, inponunt ei finem: quod nimirum ita fit, ut quae agi nocte debent, ea iam ante noctem incipiantur. Esse autem noctis, non diei, merum bibere, nemo est qui ignoret. Unde consequens est, *diem mero fregi* non, id quod interpretes volebant, idem esse quod *mero bibendo tempus fefelli*, sed hoc: *non exspectato diei fine bibere merum coepi.* Neque vero alienum ab Horatio fuisse animo fingere diem, antequam suo cursu ad finem pervenerit, quasi vi finitum vel interruptum, indicat etiam illud *partem demere de solido die*, quod eodem modo interpretandum est. Vernaculae linguae haud inepte conferas loquendi genera quae sunt „den Tag zur Nacht machen, Feierabend machen."

Carm. II, 16, 25—27; *laetus in praesens animus quod ultra est*
oderit sperare et amara lento
temperet risu.

Si cuius os, ut Vergilii verba mea faciam, torquet amaror, hic ridere conatus non eum risum exhibebit, qui facile et sua sponte apparere videtur, sed lentum. Quodsi reputaveris, aptissime ad hunc locum explicandum os amarum animo fingi, cognosces primum hoc, in vocabulo quod est *lento* nullum scripturae vitium latere, deinde illud, interpretes eos qui lentum risum per „ein gelassenes, gleichgültiges Lächeln" vertunt, reprobandos esse. Rectius vernacula lingua ita interpreteris: mit wenn auch widerstrebendem Lächeln.

Carm. II, 17, 5—8: *ah te meae si partem animae rapit*
maturior vis, quid moror altera,
nec carus aeque nec superstes
integer?

Qui dicit se parte sui amissa non eiusdem cuius antea fuerat pretii fore, quod per se intellegitur dicit. Idem sinit nos arbitrari, detrimentum a se captum exiguum esse, quod h. l. et ad sententiam ineptum et Maecenati parum honorificum est. Aliter Vergilius ad eundem Maecenatem (Georg. II, 41): *O decus o famae merito pars maxima nostrae.* Quae cum ita sint, Peerlcampium distinguentem verba post *moror*, non post *altera* quod interpretes non secuti sunt, sane mirum est. Verba enim sic distincta sententiam exhibent aptissimam: dicit Horatius pretii sui Maecenate mortuo ne dimidiam quidem partem reliquam fore.

Digitized by Google

Carm. III, 5, 32—36: *erit ille fortis*
qui perfidis se credidit hostibus,
et Marte Poenos proteret altero,
qui lora restrictis lacertis
sensit iners timuitque mortem.

Marte altero si recte explicatur per *renovato bello*, friget. Est autem oppositum ei quod est *Marte dubio* vel *incerto*, et indicat Martem iam certo consilio alterutri parti faventem, ut fere idem sit atque *explorata victoria*. Utebatur autem Horatius hoc loquendi genere ut graecum illud ἑτεραλκής imitaretur.

Carm. III, 9. Hoc carmen, sic ut vulgo legitur, conformatum, qui fieri potuerit, ut tot doctis viris in deliciis esset, me non intellegere fateor. Stropha prima atque altera Horatius et Lydia ita inter se conloquuntur, ut eos etiamtum inter se amare priscaeque veneris restituendae cupidos esse apertum sit. Quid duabus quae sequuntur strophis subiciunt? Horatius se Lydiam, Lydia se Horatium nihil curare declarat. Nam hoc, opinor, iactato Chloes et Calai amore non per ambages arguitur. Jam tamquam ne haec quidem dicta essent, duabus quae restant strophis priscus amor restituitur. Praeterea merito mireris hoc, postquam Lydia Chloes mentionem fecit, Horatium tertia stropha de hac puella, cum praesertim patriam eius nominet, ita loqui, quasi Lydiam de ea nihil scire putet. Omnia apta erunt, si duas quae vulgo pro tertia et quarta habentur strophas, eis quae carmen ordiri solent duabus praemiseris, ut carminis partes hoc se excipiant ordine:

1. *Me nunc Thressa Chloe regit,*
dulces docta modos et citharae sciens,
pro qua non metuam mori,
si parcent animae fata superstiti.

2. *me torret face mutua*
Thurini Calais filius Ornyti,
pro quo bis patiar mori,
si parcent puero fata superstiti.

3. *donec gratus eram tibi,*
nec quisquam potior brachia candidae
cervici iuvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.

4. *donec non alia magis*
arsisti, neque erat Lydia post Chloen,
multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

5. *quid si prisca redit Venus*
diductosque iugo cogit aeneo?
si flava excutitur Chloe,
reiectaeque patet ianua Lydiae?

6. *quamquam sidere pulchrior*
ille est, tu levior cortice et inprobo
iracundior Hadria,
tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Carm. IV. 12, 25—28: *verum pone moras et studium lucri,*
nigrorumque memor dum licet ignium
misce stultitiam consiliis brevem.

Brevem stultitiam eam putant interpretes, qua quis per breve tempus teneatur, ut sententia sit haec: consilia ad breve tempus valere iube eorumque in locum stultitiam recipe. Verum si hoc voluisset poeta, non *misce* dixisset, quod verbum de eis recte dicitur, quae summa loci communitate inter se iunguntur, non recte de eis, quorum alterum tollitur, alterum ponitur. Aliter Seneca Ep. 103: *Si sapis, alterum alteri misceas, nec speraveris sine desperatione nec desperaveris sine spe.* Jam ut veram generis loquendi vim cognoscamus, respiciendum est illud, *brevem stultitiam* oppositam esse *consiliis*. Stultitia enim brevis eodem intellectu dicitur quo

Digitized by Google

consilia poterant longa dici. Longa autem sunt consilia, quia curant et petunt longinqua. Eundem in modum *spes* non raro longae dicuntur, consilia autem ipsa Horatius etsi non longa, tamen *aeterna* habet. Quae si recte disputata sunt, brevis h. l. dicitur stultitia propterea, quod longinquarum ac futurarum rerum secura est.

Sat. I, 1. Disputaturo mihi de huius satirae argumento et de ea, qua partes eius inter se nexae sint ratione, praemittenda sunt quaedam de duobus eius locis, quos qui non recte intellexerit, carminis contextum perspicere non poterit. Quorum prior hic est:

ille gravem duro terram qui vertit aratro,
perfidus hic caupo, miles nautaeque per omne
audaces mare qui currunt, hac mente laborem
sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut
parvola, nam exemplo est, magni formica laboris
ore trahit quodcumque potest atque addit acervo
quem struit, haud ignara ac non incauta futuri:
quae, simul inversum contristat aquarius annum,
non usquam prorepit et illis utitur ante
quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus
demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
furtim defossa timidum deponere terra?

Interpretes haec verba sic accipere solent, ut crimine quod v. 38. sqq. infertur avaritiae illum quem legimus primis horum versuum aratorem, cauponem, militem, nautam conpellari et formicae exemplum quo illi se tuendi causa utuntur, avaritiae eorum inlustrandae inservire putent. At quomodo fieri potest, ut poeta cum v. 38. dicat *te*, illos homines cogitet? Petitur illic dives, hi sunt pauperes. An *divitem* esse verisimile est eum, qui terram aratro vertit? an *nautae* vocabulo usus esset poeta mercatorem indicaturus? Accedit quod cum vv. 38 sq. ea quae avarus lucrum faciens contemnit, enumerentur, aestum dico, hiemem, ignem, mare, ferrum, si illi petebantur, praeter cetera senectus memorari debebat. Mitto illud, aratorem sodalesque eius, si pecuniam seponebant, plane probandos fuisse, Horatiumque magis decuisse, gaudere quod seponere possent, quam indignari quod conarentur. Vera loci interpretatio in promptu est. Tantum enim abest, ut quattuor illi homines cum divite quasi coalescant, ut ei prorsus opponantur. Hoc enim vult Horatius: „Arator, caupo, miles, nauta, alii huius generis homines cur tantos labores perferant interrogati a te, avare, se otia sibi parare respondebunt: idem enim faciunt quod formica: tu laboras eo tantum consilio, ne te ditior alter sit.“ Vel ut idem aliis verbis dicam: „Pecuniae congerendae causa et illi et tu labores fertis: sed illi recte, cum sibi parent otia, tu perverse, qui quae tibi parata sunt otia, ea contemnas ac perdas.“ Quaerentes autem quid interpretes locum legentes in errorem duxerit, duplicem potissimum huius rei causam reperimus. Ac primum quidem non poterant illi non existimare, poetam h. l. repetiisse commemorationem eorum quattuor hominum quos supra perstrinxerat, quod tamen ut fieret neque sententiarum nexu ullo modo requirebatur, neque poterat fieri tam inepta ratione: habemus enim

illic:	militem,	mercatorem,	urbanum,	rusticum,
hic:	aratorem,	cauponem,	militem,	nautam.

Digitized by Google

Alter erroris fons erat ille, quod poeta hac de qua disputamus satira, id agere videbatur, ut universos homines avaritiae reos faceret: quae opinio et ipsa quam vana sit, infra videndum erit. Transimus ad alterum qui nobis spectandus est locum, cuius hi sunt versus:

illuc unde abii redeo, qui nemo, ut avarus,
se probet, ac potius laudet diversa sequentes,
quodque aliena capella gerat distentius uber,
tabescat, neque se maiori pauperiorum
turbae conparet, hunc atque hunc superare laboret,
sic festinanti semper locupletior obstet.
ut cum carceribus missos rapit ungula currus,
instat equis auriga suos vincentibus, illum
praeteritum temnens extremos inter euntem.
inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
dicat et exacto contentus tempore vita
cedat uti conviva satur, reperire queamus.

In primo horum versuum plerique interpretes, sive *qui nemo ut avarus* sive *nemone ut avarus* sive alia legebant, eam sententiam reperire sibi videbantur, ut neminem non avarum esse dici putarent. Cui sententiae hic nullo modo locum esse, apparet vel ex una quae v. 104. facta est, vappae et nebulonis commemoratione, post quam tam parvo intermisso intervallo Horatius, si sanus erat, simpliciter omnes homines avaritiae crimine conplecti non poterat. Itaque verba quae sunt *ut avarus* necessario statuendum est hoc potius significare: *aeque atque avarus, avari more, tamquam avarus esset.* Ea vero quae sequuntur, huic interpretationi obstare cave dicas: quibus non avaritiam, sed invidiam castigari, si adtenderis, cognosces.

Atque haec quidem ita disputavi, quasi omnes hos versus et Horatii esse et in eum quo legimus locum recte inlatos putarem: sed sentio de hac re aliter. Itaque addere quaedam placet, quae si non reprobanda erunt, late patens illud avaritiae crimen etiam fortius arcebunt. In versibus igitur 108—116 plura esse quae orationem parum aptam reddant, nemo est, opinor, qui non sentiat. Accedunt alia. Male enim iubemur v. 111 sq. cum pauperioribus nos conparare, brevi ante alios spectare vetiti. Male diversa sequentes ei dicuntur, quos superare studemus (v. 112). Male is quem praeterire temptamus, v. 113. nobis obstare dicitur. Male, id quod recte monet Peerlcampius, v. 116. *extremos inter euntem* pro *ut extremos inter euntem* positum. Quae cum ita sint, equidem non contentus coniectura Peerlcampii versum 113. pro emblemate habentis omnia illa quae inde a versu 110. usque ad versum 116. leguntur hoc loco tollenda esse existimo. Qua corrigendi ratione admissa et pro *qui nemo* scripto *quia nemo*, oratio satis illa, opinor, clara, haec evadit:

illuc unde abii redeo. quia nemo, ut avarus,
se probat, ac potius laudat diversa sequentes,
inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
dicat . . . reperire queamus.

Hactenus haec de duobus satirae locis. Licet jam ad ipsam quam nobis proposuimus rem accedere, quae ea est, ut qui sit nexus inter satirae partes perquiramus. Quae quaestio nobis inde ordienda est, ut quid Horatius hanc satiram condens potissimum egerit, dicamus: quod sponte se obfert: poetam enim nihil antiquius habuisse quam hoc, ut avaritiam castigaret, apertum est. Iunctum autem est cum avaritiae crimine vituperatio eorum qui de sorte sua queruntur, aliena laudant, sua non probant, ut redeat questio eo, ut quam duo crimina inter se habeant

Digitized by Google

rationem videamus. Atque interpretes quidem de hac re quamquam aliquatenus dissentientes uno tamen fere consensu docuerunt illud, avaritiam ab Horatio tamquam alterius vitii originem atque causam statui *). Quam interpretationem cum equidem falsam habeam, cur habeam, dicendum est.

Ac primum quidem Horatius, si illas de sorte querelas totas ex avaritia nasci docebat, esse tot et tantas alias, cur homines sorte non contenti vivant, causas negabat: quod facere eum potuisse nemo est, opinor, qui credat. Bene enim ille sciebat, aratoribus, ut exemplo utar, et militibus suos labores, non ex avaritia profectos, ferendos esse tantos, ut, si propter illos ipsos vitam suam satis miseram dicerent, minime mirandi essent. Accedit quod tota satira verba, quibus illam sortis criminationem deberi avaritiae dicatur, inveniuntur nulla: nam illa quae sub eius finem legimus: *nemo ut avarus se probet ac potius laudet diversa sequentes* in hunc sensum accipi non posse supra demonstratum est. Deinde cum sorte sua parum contenti esse universi dicantur homines, si huius vitii causa avaritia est, avaritiam et ipsam ad universos homines pertinere necesse est. Hoc autem ita esse ut nobis ipsi persuadeamus, multum, opinor, abest; quapropter Horatius, si nos id credere volebat, hoc prae ceteris demonstrare debebat. Nunc per totam satiram avaritiam divitum tantum hominum persequitur, ut illud potius agere videatur, ut eam satis paucorum hominum esse nobis persuadeat. Memineris autem hic eorum quae supra de aratore, caupone, milite, nauta disputata sunt, ex quibus huius generis homines ita non avaritiae damnari, ut avaris opponantur, apparuit.

Jam ut verum, quo duo quae dixi crimina inter se continentur, vinculum reperiamus, contrariam viam temptemus, eam, ut experiamur, num sortis taedium studiumque alios, non se probandi non ex avaritia, sed avaritia ex illo originem ducat. Spectes primum sententiam per se ipsam. Avarus cum eo quod congerit, neque utatur neque uti in animo habeat, expetendum illud esse propter aliam causam putet necesse est: quam causam quaerentibus nobis nulla alia datur nisi haec, quod expetendum aliis videri animadvertit. Avarus enim plus petit, non quo quod habet, non satis sit, sed quia plus est quod alter habet. Jam eandem sententiam ut Horatii esse intellegamus, iterum duo de quibus supra disputavimus loci excitandi sunt. Quorum priore avari studia his verbis describuntur: *cum... nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter*, in quibus sententiam inesse hanc apertum est: „non quid tibi opus sit spectas, sed quid alter habeat; contemnis tuum, quia non idem est atque id quod alterius est.“ Posteriore loco comparantur inter se avari et universi homines; comparantur autem ita, ut neutri se probare, spectare alios dicantur. Nec vero potest parvi momenti esse hoc, quod horum a priore omnis qui est de avaritia sermo orditur, posteriore clauditur. Neque enim fieri posse, ut poeta etiam eis quae posteriorem locum sequuntur, avaros petiverit, supra monitum est.

Restat, ut una satirae particula quam rationem ad cetera habeat, cognoscamus, eam dico, qua quattuor initio carminis inductos homines, a Jove facta eius quod optarant copia, abnuere legimus. Quod quo consilio ab Horatio ita inventum sit, ne ipsum quidem interpretibus satis patuit: ac tamen res simplex erat. Poeta enim id agit, ut quid sit *alios probare* demonstret: quod facit quattuor illorum exemplo inlato quam maxime potest perspicue: eadem enim illi probant, dum aliena sunt, reprobant, ubi aliena esse desierunt: desierunt autem, ubi alteris ademta ipsis obferuntur.

---

*) Infelicissime omnium rem expedivisse mihi videtur Doderlinus avaritiae a poeta eam vim adscribi ratus, ut homines sortem suam quamvis illa non contenti mutari nolint.

Digitized by Google

Jam qui sit sententiarum quibus satira constat nexus, satis clare, nisi fallor, perspicitur. Agebat Horatius hoc, ut avaritiam fugiendam esse doceret. Quod argumentum dum versat animo, devenit eo, ut unde avaritia oriatur, quaerat. Censet oriri ex studio aliena probandi. Ordo autem quo conditas habemus sententias, hic est: Satis mirum, quod homines aliena quam sua laudare malunt (vv. 1—22). Triste huius vitii specimen est avaritia, quae nihil nisi labores miseramque vitam parit (vv. 23—107). Sed quia non solum avari, sed omnes homines illo vitio laborant, inde fit, ut qui beati vivant, tam raro reperiantur (v. 108— fin.).

Finitis iam eis quae ad satiram pertinebant universam, restant pauca de uno eius atque altero loco disputanda. Quorum locorum primus in ipso carminis exordio est, ubi haec sunt:

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
contentus vivat . . .

Interpretes miro consensu sortem illam ratione datam putant eam, quam homo sibi ipsi elegerit. Enimvero homines, ut omnia sibi elegere possint, sortem profecto non possunt, siquidem illa obfertur atque obtingit. Quod Horatius se non ignorasse indicat hoc, quod brevi post, ubi de sorte aliquot hominum mutanda agitur, Jovis ope carere non potest. At sunt qui illud dicant, vocabulum h. l. non quo soleat intellectu dictum esse, sed genus quaestus faciendi indicare. At hunc vocabuli usum latinum esse quis est qui evincere possit? Aliud igitur temptandum, ut quomodo sortem ratio dare possit, intellegamus. Intellegimus autem simplici modo hoc. Ratio, poetae simili modo dicta atque Anaxagorae νοῦς, est extra hominem, est deorum, est id quod universam rerum naturam regit atque moderatur, ut h. l. quaestio a veteribus saepe disceptata tangatur illa, utrum quae in rerum natura fiant, forte casuque an ratione quadam atque consilio fiant. Devenit autem huc poeta eo facilius, quod legebat Lucretium, quem scis „divos securum agere aevom“ docuisse omniaque retulisse ad fortem atque naturam.

V. 73. legimus hoc: *nescis quo valeat nummus? quem praebeat usum?*

Prior harum interrogationum sibi vult, opinor, hoc: Weisst du nicht, wodurch die Münze Geld ist, gilt, gültig, eine Werthsache ist? Ad quod responderi non aliter potest nisi ita: eo, quem praebere debet usu. Jam hoc ita esse negatur subiuncta altera interrogatione, quae est *quem praebeat usum?* Concineret enim haec cum priore, si *quem*, non *usum* maiore voce efferre liceret, quod non licere, omissis illis quae ad priorem respondenda esse videbamus, apertum est. Videndum, ne Horatii verba haec fuerint:

Nescis quo valeat nummus? quem praebeat usu.
V. 106 sq. . . . . *sunt certi denique fines*
quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Consistere per „bestehen“ qui vertunt, poetam iusto frigidius loquentem faciunt, qui si germanica lingua usus esset, Fuss fassen vel stehen dixisset.

Sat. I, 2, 131: *cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.*

Illud *mi* post crura atque dotem valde frigidum. Idem ineptum, quia hanc sententiam praebet, quasi Horatio uni, non illis quoque (consciae et deprensae) sibi metuendum fuisset. Potest autem haec offensionis causa facile tolli distinctionis signo post *mi* deleto et pro *egomet mi* scripto *ego dum mi* vel, quod magis placet, *egomet cui*, qua emendatione admissa habes:

Digitized by Google

cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet, cui
discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
ne nummi pereant aut puga aut denique fama.

Sat. I, 3, 69—72:

amicus dulcis, ut aequum est,
cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.

In his tria potissimum me male habent. Primum enim quomodo illud *inclinare* fiat, non intellego. Animo fingendae sunt duae trutinae lances, in quarum altera Horatii bona, in altera vitia posita sunt: iam amicus iubetur illam inclinare, h. e. propensiorem facere: quod, opinor, simpliciter manu et vi adhibita non debebat. Deinde quid est *amicus dulcis qui amari volet?* quasi vero amicus dulcis non eo ipso ametur quod dulcis est, et ut ametur, amari *velle* debeat. Postremo verba quae sunt *hac lege in trutina ponetur eadem* necesse est ita accipiamus, ut *eadem* ad *trutina* referamus: quod ineptum ad sententiam, qua non eandem trutinam, sed eundem trutinae usum requiri facile apparet. Itaque nescio an locus corruptus et sic emendandus sit:

amicus dulcis, ut aequum est,
cum mea compensat vitiis bona, pluribus hisce,
si modo plura mihi bona sunt, inclinet amore:
si volet hoc, lege in trutina ponetur eadem.

Inclinet amore in vernaculam linguam sic transferas: so gebe er den Ausschlag, indem er seine Liebe mit in die Wagschaale wirft. *Eadem* cum *lege* iungendum esse sponte intellegitur. Priora autem loci verba hoc sibi volunt: „amicus dulcis, cum, ut ei dandum est, bona mea non sola spectat, sed quam rationem ad vitia mea habeant, quaerit . . .“

Sat. I, 3, 120—126:

nam ut ferula caedas meritum maiora subire
verbera non vereor. cum dicas esse pares res
furta latrociniis et magnis parva mineris
falce recisurum simili te, si tibi regnum
permittant homines: si dives qui sapiens est,
et sutor bonus et solus formosus et est rex,
cur optas quod habes?

Haec verborum distinguendorum ratio, discrepans illa ab ea, quam editiones praebent, se ipsa, opinor, conmendabit. Nam illa *cum dicas esse pares res* usque ad *si tibi regnum permittant homines* ad sequentia necessario esse referenda apertum est: eadem, ut fieri solet, ad ea quae praecedunt, tracta partim his addunt ἀπροσδιόνυσα, partim inepte repetunt quae paulo ante satis copiose tractata erant. Ceterum operae pretium legere Peerlcampium ad hunc locum.

Ibid. v. 127 sqq:

„sapiens crepidas sibi nunquam
nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens.“ qui?
„ut quamvis . . .“

Illo *qui*, sermoni stoici ab Horatio interposito, facile, opinor, caremus. Orationis vero numeris aliquanto melius consultum erit verbis sic distinctis:

sutor tamen, est sapiens qui.

Digitized by Google

Sat. I, 4, 103 sqq: *liberius si*
dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi juris
cum venia dabis.

Liberius dictis h. l. subiunguntur iocosius dicta ita quasi diversa essent: quod non ita habet: nam iocosius dicta, si aliquid sunt, liberiore ioco dicta sunt. Praeterea Horatius si a Maecenate liberiorum iocorum ius petit, apte petit: idem ut quidvis liberius dicere sibi liceat, postulans eam prae se fert adrogantiam, quam ab illo longe abesse putabamus. Quae mihi satis persuadent, scripturae vitium subesse, quod facile ita tollas:

liberius si
dixero quid, sic forte iocosius, hoc ...

Sententia haec est: „si, quod dicere voluero, libertate quadam admissa iocosius evadere potuerit et propterea ego sic dixero, hoc mihi ...". Nam *sic forte iocosius* ita interpretandum: *utpote forte sic iocosius futurum*, vel *quia sic forte iocosius erit.* Unde etiam illud apparet *iocosius* a me non pro adverbio, sed pro adiectivo haberi.

Sat. I, 5, 75 sq: *convivas avidos cenam servosque timentes*
tum rapere atque omnes restinguere velle videres.

Fugisse videtur interpretes festivus vocabuli quod est *velle* usus. Agebant enim neque convivae neque servi quidquam nisi hoc, ut cenam raperent, flammarum satis securi: sed partim quia videri securos pudebat, partim quo commodius raperent, restinguendi simulabant studium.

Sat. I, 6, 93 sq: *nam si natura iuberet*
a certis annis aevum remeare peractum.

Ea quam mihi horum verborum conformaveram, interpretatio cum illis quae apud Doderlinum legi, eo usque convenit, ut uterque nostrum *certos annos* constanti aetate interpretetur. De ratione tamen, quam haec vocabula ad cetera habent, aliter sentio. Et Doderlinus quidem sic vertit: Denn würde Natur mir befehlen, jetzt vom gestandenen Alter zurückzugehn in die Kindheit. Sed specta quaeso ea quae versibus 100. sqq. subiunguntur:

nam mihi continuo maior quaerenda foret res
atque salutandi plures; ducendus et unus
et comes alter q. s.

Quae legens si adtenderis ad eam quam describit poeta vivendi rationem, et ad vim vocabuli quod est *continuo*, non dubitabis, quin Horatius se reductum non in infantiam, sed in initium constantis aetatis velit. Itaque sic potius interpretandum: *a certis annis* idem esse quod *inde a certis annis* vel *inde a primis certis annis* et iungendum non cum *remeare*, sed cum *peractum*, ut sententia haec sit: „si natura me iuberet remeare vel iterum permeare eam aevi partem, quae inde a prima constanti aetate a me peracta est."

Sat. I, 9, 16: *prosequar hinc quo nunc iter est tibi.*

nunc nihil facit nisi ut versus numeros compleat, ad sententiam vim habet nullam. Fortasse praestat legere:

prosequar hinc quocumque iter est tibi.

Digitized by Google

Ibid. v. 42 sq. *ut contendere durum*
cum victore sequor.

Quid sit h. l. *durum*, a nullo quod scio interprete recte indicatum est. Nam neque interpretatio quae est: es hält schwer, neque ea quam Doderlinus voluit: es ist roh, unhöflich, sententiam Horatii adsequitur. Meminerimus autem *durum* oppositum esse *molli*. Ut mollis hominis est, laborum et periculorum parum patientem esse, sic durus illa iusto minus sentit, iusto magis contemnit. Illud per se turpe, hoc propterea fugiendum, quia ab humanitate abhorret. Accedamus propius ad eum quem nobis proposuimus locum. Mollis homo pugnam quamvis parem detrectat, durus etiam victus continuat, atque hoc Horatius in se cadere noluisse se dicit. Vernaculae linguae vocabulum quod *durum* reddat, nullum reperio nisi iocosum illud Eisenfresser: nam is qui „hart" dicitur, non suorum dolorum, sed alienorum securus est. Vituperatur autem hoc, quod descripsimus animi vitium a veteribus non raro. Sic Horatius: *durus, . . . Voltei, nimis attentusque videris*, vel *Illi robur et aes triplex circa pectus erat, qui fragilem truci etc.* Ovid. Amor. I, 7, 49: *at nunc sustinui, raptis a fronte capillis, ferreus ingenuas ungue notare genas*, in quibus scilicet capilli et genae Ovidii ipsius intellegenda sunt. Atque idem animi genus, ita tamen, ut vituperatio absit, Sat. I, 2, 17. habes, ubi haec sunt: *sub patribus duris tironum*, in quibus *duris* non ad severitatem in tirones, sed ad vitam laboriosam atque parcam referendum est.

Ibid. v. 52 sq. *„magnum narras, vix credibile." atqui sic habet. „accendis . . ."*

Gratior mihi locus est ita conformatus: *„magnum narras, vix credibile: at si sic habet, accendis . . ."*

Ibid. v. 54 sqq. *velis tantummodo: quae tua virtus,*
expugnabis; et est qui vinci possit, eoque
difficiles aditus primos habet.

Bentleius illius *eoque* patronus sic agit quasi *est qui vinci possit* idem esset atque *est qui se vinci posse sciat:* quod contra esse apertum est. Praeterea vides, eadem illa *est qui vinci possit* quam inepte ei quod est *expugnabis* per *et* adnectantur, cum sententiae causa inverso verborum ordine hoc requireretur: est qui vinci possit et expugnabis. Equidem conicio Horatium voluisse hoc:

velis tantummodo: quae tua virtus,
expugnabis: at ut qui vinci possit in aequo,
difficiles aditus primos habet.

Aequum et *aequus locus* quam saepe de locis ad dimicandum aptis dicantur, nemo est qui ignoret. Livius 5, 38: *Facilem in aequo campi victoriam fore.*

Ibid. v. 62 sqq. *consistimus. „unde venis?" et*
„quo tendis?" rogat et respondet. vellere coepi
et prensare manu lentissima brachia, nutans,
distorquens oculos, ut me eriperet.

Verbis quae sunt *rogat et respondet* exprimi posse hoc, utrumque amicum idem rogasse ad idemque respondisse, equidem non credo. Praeterea miror, quod Horatius, cuius solius ut cum amico colloqueretur intererat, non prior loquitur. Postremo desidero indicium unde intellegatur

Digitized by Google

illud, cum Horatius id agat, ut ab Aristio eripiatur, hoc uno consilio eum cum Aristio constitisse atque loqui coepisse. Erant, nisi fallor, poetae verba haec;

consistimus. „unde venis et
quo tendis?“ rogo. et ut respondet, vellere coepi ...

Ibid. v. 66 sqq.

meum iecur urere bilis.
„certe nescio quid secreto velle loqui te
aiebas mecum.“

Si *certe* h. l. wenigstens sibi vult, sententia haec est: quae adhuc temptavi cum te movere non potuerint, hoc certe movebit. Sed eius modi quidquam dicere, Horatio per adseclam illum non licuisse apertum est. Aptius vocabulum cum praecedentibus iungitur loco ita scripto:

meum iecur urere bilis
certe. „nescio quid q. s.

Certe uritur bilis eius, qui ustae bilis certum sensum concipit. Eodem modo certus dolor dicitur Epod. XV, 16.

Sat. I, 10, 21—23:

o seri studiorum! quine putetis
difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
contigit?

In *quine* pronomen relativum qui agnoscunt, eos errare recte monuit Doderlinus, probabilius illud per *cur* interpretatus. Equidem, id quod Peerlcampio quoque visum est, locum corrigendum esse puto. Correxerim autem ita:

o seri studiorum! alicuine putetis
difficile et mirum Rhodio quod Pitholeonti
contigit?

Ceterum valde dubito num illud *seri studiorum* recte habeat. Venit mihi in mentem: *o semistudiosi!*

Ibid. v. 58 sq.

at dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
plura quidem relinquendis.

Nescio an latinae linguae consuetudini hoc debeatur: *saepe ferentem et plura quidem q. s.*

Ibid. v. 61—65:

nil comis tragici mutat Lucilius Atti?
non ridet versus Enni gravitate minores,
cum de se loquitur non ut maiore reprensis?
quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
quaerere num illius, num rerum dura negarit q. s.

In illis quae sunt *cum de se loquitur non ut maiore reprensis* interpretes suo iure offendebant. Omnia, nisi me fallit animus, bene habebunt pro *cum* scripto *iam* locoque ita conformato:

non ridet versus Enni gravitate minores?
iam de se loquitur non ut maiore reprensis:
quid vetat et nosmet q. s.

Digitized by Google

Sententia haec est: Nos Lucilium reprehendentes nihil facimus aliud nisi quod ipse fecit: nam ille quoque reprehendit eos, quos ipse se maiores habebat.

Ibid. v. 77 sq. *recideret omne quod ultra perfectum traheretur.*

Doderlinus: was über die Grenzen des Rechten sich dehnt. Verum *perfectum* non est: das Rechte, sed: das Fertige. Operi non is tantum nocet, qui antequam perfectum est mittit, sed etiam ille qui non mittit perfectum.

Sat. II, 1, 83 sq. *sed bona si quis iudice condiderit laudatus Caesare?*

Illud *laudatus* quid sibi velit, explicari nullo modo potest. Nam iungere illud cum *iudice Caesare* eo vetamur, quod haec verba ad *bona* referenda sunt. Mitto *laudatus iudice Caesare* ineptam sententiam exhibere. Quapropter vix dubites quin Horatius hoc voluerit:

sed bona si quis
iudice condiderit laudato Caesare.

Laudare dictum pro *nominatim appellare*, ubi de testibus sermo est, tritum verbum. Nam memores esse debemus, locum totum ad ius iudiciumque referendum esse.

Sat. II, 2, 76 sq. *vides ut pallidus omnis cena desurgat dubia?*

Terentianus Geta illa dubia cena audita: quid istuc, inquit, verbi est? Quam interrogationem ego si meam facio, maiore quam ille iure utor: ille enim Phormionem iocari sciebat, mecum serius loquitur Ofellus. Atque eadem de causa eam quam ille admisit interpretationem „ubi tu dubitas quid sumas potissimum", equidem non admitto. Conicio potius *dubia* esse ex *dubitas* corruptum atque trahendum vocabulum ad ea quae sequuntur, ut locum ita restituendum putem:

vides ut pallidus omnis
cena desurgat? dubitas quin corpus onustum
hesternis vitiis animum quoque praegravet una
atque adfigat humo divinae particulam aurae?

Sat. II, 3, 43 sq. *quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex autumat.*

Locum latinum redditurus qui coniecit *stultities quemcumque* Meinekius num quod sibi proposuit, adsecutus sit, dubito. Manet enim illud *quem ... quemcumque*, quod ille non satis tuitus est. Apta omnia, si hoc legimus:

in mala stultitia et quemcumque inscitia veri caecum agit q. s.

Quod corrupisse videtur semidoctus quispiam, qui verba animo ita iungere, ut *quemcumque* nomini *stultitiae* praeponeret, non poterat. Ceterum haec emendatio, ut linguae leges observat, ita sententiae causa necessaria est. Neque enim hoc voluit Damasippus, insanum esse qui stultus esset, quod si dixisset, verbum pro verbo posuisset, sed illud, eum insanum esse, qui sua ipsius culpa malis afflictaretur. Omnes enim, quos sequentibus commemorat stultos, Damasippus malis urgeri docet.

Digitized by Google

Ibid. v. 48—51:

velut silvis, ubi passim
error palantes certo de tramite pellit,
ille sinistrorsum hic dextrorsum abit, unus utrique
error, sed variis inludit partibus q. s.

Eleganter et vere Doderlinus: „erramus incerti, vagamur soluti, palamur dispersi." Vellem igitur, quanam lege coniuncti homines se in silvis disperserint, intellegere: quod vereor ut indicari possit. Accedit, quod illi, si se ipsi dispergebant, viam, opinor, nihil curabant, ut de tramite errore pulsi esse dici non possint. Postremo mihi sequentia spectanti parum apta videtur oratio. Quibus rebus efficitur, ut ego illum palantium versum emblema esse existimem. Restant haec:

velut silvis, ubi passim
ille sinistrorsum hic dextrorsum abit, unus utrique
error q. s.

Sat. II, 3, 65 sqq: *integer est mentis Damasippi creditor? esto.*
accipe quod numquam reddas mihi, si tibi dicam,
tune insanus eris si acceperis? an magis excors
reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?

Verbo quod est *esto* Damasippus se dare indicat, creditorem suum mentis integrum esse: quo nihil dicere poterat absurdius hoc agens, ut probaret contrarium. Altera offensionis causa quamquam fieri facile poterit, ut multis ridenda videatur, mihi vel una, locum corruptum esse, ita ut dubitari non possit, arguere videtur. Damasippus enim insanum esse dicit eum, qui non accipiat quod reddere non opus sit: quasi vero non satis multa sint, quae aut habentem nihil iuvant, aut non habenti etiam fugienda videntur. Restituendum conicio locum ita:

integer est mentis Damasippi creditor? aes tu
accipe quod numquam reddas mihi q. s.

Ibid. v. 199 sqq: *tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam*
ante aras spargisque mola caput, inprobe, salsa,
rectum animi servas? quorsum? insanus quid enim Aiax
fecit? cum stravit ferro pecus, abstinuit vim
uxore et gnato q. s.

Diu erat quod conieceram v. 201. Horatium scripsisse *rectum animi servas cursum?* cum Peerlcampium idem monuisse vidi. Poteram igitur, quid ipse coniecissem tacere, cum praesertim tantum virum mei adsensus minime indigere scirem. Verum nolui praetermittere eius quod Peerlcampius viderat, repetendi occasionem, in ipsa repetitione inesse commendationem ratus. Quam eandem ob causam non dubitavi duos alios, de quibus ante Peerlcampium lectum mihi idem quod illi in mentem venerat, locos subiungere hos:

Sat. II, 6, 10 sqq: *o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut ille,*
thesauro invento qui mercennarius agrum,
illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!

Digitized by Google

Sat. II. 8, 26 sqq:

nam cetera turba,
nos, inquam, cenamus aves, conchylia, pisces,
longe dissimili notum celantia sucum;

in quibus quid coniecturae debeatur, conlata editionum scriptura facile apparebit. Illud addiderim, in primo horum trium locorum consulto me interrogationis signum non post *pecus*, sed post *fecit* posuisse, tertium emendandum ita quoque existimare, ut pro *nos inquam* scribatur *nequiquam*.

Sat. II. 3, 211 sqq:

Aiax cum inmeritos occidit desipit agnos:
cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
stas animo, et purum est, vitio tibi cum tumidum est cor?

Haec ut recte intellegantur, vocabulum quod est *desipit* in longe alium atque ab interpretibus fieri solet, sensum accipiendum est. Opposita enim inter se sunt *desipere* et sequentis versus illud *prudentem esse*, nec magis illud insanam mentem arguit quam hoc indicat sanam. Vult enim Damasippi miles hoc: „scilicet inmeritos occidit Aiax agnos: at tum desipiebat, quem occideret nesciebat, non compos erat animi: tu inmeritam tuam filiam esse eam quam necari iubebas, bene perspectum habebas. Itaque cum uterque vestrum quod insaniae speciem prae se fert fecerit, tu insaniae es damnandus, quippe qui prudens feceris, ille absolvendus, siquidem quod fecit, ei inputari non potest.

Illa *stas animo, et purum est, vitio tibi cum tumidum est cor* qui post *est*, non post *tibi* distinxit Bentleium interpretes aut sequi, aut, id quod vereor ne perdifficile sit, usum vocabuli quod est *purus* cum ablativo coniuncti exemplis adlatis defendere debebant.

Sat. II. 4, 90 sqq: *nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,*
non tamen interpres tantundem iuveris.

Optimo iure Doderlinus Orellium *tantundem* verbis quae sunt „quantum praeceptor tuus" interpretatum refellit. Idem substituens illud: „quantum si ad ipsum duxeris", ne ipse quidem verum vidit, quod hoc est: „quantum referendo."

Sat. II. 5, 90 sqq:

difficilem et morosum offendes garrulus ultro:
non etiam sileas. Davus sis comicus atque
stes capite obstipo, multum similis metuenti.

In his explicandis Doderlinus, quamquam vim vocabuli quod est *ultro* verissime declaravit, mihi non plane satisfecit. Monet enim recte Teuffelius, non apte dici *garrulus ultro offendes morosum*, quia saepe fiat, ut garrulus homo etiam alios atque morosos offendat. Illud quoque displicet, verbis quae sunt *non etiam sileas* silentium dissuaderi, cum quae sequuntur *Davus sis comicus* q. s. aptius, si quid video, conmendato subiungantur silentio. Quas ob causas locum sic traditum vellem:

difficilem et morosum offendes garrulus: ultro
nonnunquam sileas q. s.

Quid *ultro* sibi velit, hinc intellege: „tantum absit, ut garrulus sis, ut nonnunquam sileas."

Sat. II. 6, 107 sqq:

veluti succinctus cursitat hospes
continuatque dapes, nec non verniliter ipsis
fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.

Digitized by Google

Apertum est poetam hoc voluisse, urbanum murem officiis non solum hospitis, sed etiam vernae functum esse: sed merito et alios et Lambinum offendebat oratio illorum: *nec non verniliter ipsis fungitur officiis*. Eadem apta fore opinor hac admissa mutatione:

nec non vernilibus ipsis
fungitur officiis, q. s.

Sat. II. 8, 67 sqq: *tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni*
sollicitudine districtum, ne panis adustus,
ne male conditum ius adponatur, ut omnes
praecincti recte pueri comptique ministrent?
adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
ut modo, si patinam pede lapsus frangat agaso.

